





*Ps. 1. num. 21.*

*S. 40.*

*1767, 11*

*AA*

GVILIELMI AVGVSTI RVDLOFF

IVRIVM DOCTORIS

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

DE

IVRE GERMANICO

IVSTA METHODO TRACTANDO

COMMENTATIO.

*D. 147.*



GOETTINGAE

cl<sup>o</sup> cc LXVII.



315

INSTITUTUM AUSTRIACUM


INSTITUTUM DOCTORUM

IN AUSTRIA AUSTRIACA

JURIS GERMANICI

INSTITUTUM AUSTRIACUM

COMMENTARIUM





§. I.

INTRODVCTIO.

**D**ari Ius Germanicum, atque ipsius culturam summi sane esse momenti, nemo erit hodie, qui negabit; ast ex quibus potissimum fontibus illud deducendum sit, quae methodo tradendum, in eo variant Doctores tantum non omnes. Habet Germania nostra leges, quae sibi propriae sunt, sane multas, et diuersi generis; adsunt leges antiquiores, veterum videlicet Germaniae populorum, capitularia regum Francorum cet.; adsunt leges mediae aetatis, adsunt denique leges nouiores innumerae. Iam qui ex hisce theoria


ria Iuris Germanici adornanda sit in quaestione est. Notissimae sunt duae nostris temporibus hic ventilatae opiniones contrariae, quum alii maximi nominis Iureconsulti ex monumentis mediae aetatis, Iure Saxonico, Franconico, Alemannico, alii contra non minus summae eruditionis viri autem ex nouissimis statutis et iuribus prouincialibus, hodiernam iurisprudentiam Germanicam generalem haurire maluerunt. In hoc dissensu et meam sententiam declarare eo magis licebit, quum, in hac academia publicis lectionibus Ius patrium traditurus, quid a me expectari queat, antea exponere non solum non alienum, sed in ipsis adeo officiis meis positum esse, arbitrer.

§. II.

NON SVFFICIUNT IN IVRE GERMANICO LEGES HODIERNAE.

Iuris Germanici priuati vniuersalis theoriam nec completam, neque iustam adornari posse credo, si non, nisi in nouioribus legibus Germanicis subsistere velimus. Quae enim I.) in legibus imperii definiuntur Iuris Germanici capita, materiam quidem Iuris Germanici vniuersalis suppeditant, sed perpauca adeo sunt, vt omnem iuris patrii priuati ambitum longe non emetiantur;

tur; II.) Statuta vero et iura locorum particu-  
 laria patria quidem multa seruarunt instituta, sed  
 contra quoque tantum non omnia iis tempori-  
 bus condita sunt, vbi ius peregrinum solum  
 Germanicum iam occupauerat, immo ab ipsis  
 doctoribus iuris, Romana vbique propagantibus  
 pleraque concepta inueniuntur, et sic plura, quae  
 domestica haut sunt, sed peregrina instituta re-  
 dolent, complectuntur, vt pro genuinis Iuris  
 Germanici fontibus sola habere nequeant. Ac-  
 cedit III.) quod certe summum esse videtur, in-  
 stituta vere patria permulta, quum originem  
 suam non nouioribus temporibus, sed antiquissi-  
 mo aeuo debeant, ex solis recentioribus statutis  
 et legibus diiudicari nec posse, nec debere, eo-  
 ue minus, quam fugere neminem queat, quam  
 maxime a peregrinis iuribus eadem non raro al-  
 terata, immo difformata sint, verum potiori  
 iure in iisdem explicandis et definiendis ea con-  
 sulenda esse monumenta, quae tum peregrino  
 iure nondum infecta sunt, tum originariae ipso-  
 rum qualitati, quam proxime accedunt. Tan-  
 dem IV.) leges nouiores, seruando patria insti-  
 tuta, ex antiquioribus monumentis omnino de-  
 sumferunt, ideoque vel in explicandis illis ad  
 haec ceu fontem non recurri non poterit.



## §. III.

QVOMODO GENERATIM IN ERVENDO IVRE GERMANICO  
PROCEDENDVM.

Hisce suppositis omnino et antiquiora iuris patrii monumenta, nec temere quidem arbitror esse consulenda, ea inter se inuicem comparanda et ex eorum sanctionibus, quas in nobilissimis Germaniae institutis mirifice consentire videbis principia haurienda in vniuersa huius iuris theoria certe purissima. Quo plura hic vestigia detegere, quo altiora documenta adtingere licet, eo perfectius, eo solidius exinde enascetur systema. Atque quum in ipsa tractatione necessarium esse videatur, instituta et iura domestica in sua prius puritate considerari, quam, quae ex peregrino iure iisdem adspersa sunt, attendantur: ea praecipua habenda est regula, vt ante omnia tempora separentur quibus solo suo iure vsa est Germania, ab illo aeuo, quo Romanum et Canonicum ius cognitum fuisse deprehenditur, siquidem a prima eiusdem in Germania introductione, multa ex illis petita in diplomata ceteraue iuris monumenta sese insinuasse ex ipsa horum inspectione adpareat (a). Deinceps vero ea regula in perscrutandis singulis iuris  
Germ.



Germ. monumentis commendanda videtur, vt ne tam ad regionum & terrarum diuersitatem, quam potius ad temporis ordinem respiciatur, hac ratione, vt chronologice quae in vno aeuo occurrunt iuris patrii vestigia omnia adeas, & ita a seculo ad seculum pergas, quo vno obtutu qualiter per seculorum decursum diuersa deprehendantur iura totius Germaniae perspicere valeas. Iam igitur ad quaenam monumenta, ceu fontes in I.G. attendendum, quonam ordine consulenda sint recensebimus, & deinde, qua ratione ex illis Ius Germanicum concinnari queat, addemus.

(a) Ita enim a. 1265. Gottfridus Comes de Cigenheim in diplomate sibi prospicit contra *omnem impetitionem iuris ecclesiastici vel ciuilib.* A GYDENVS *cod. dipl. T. II. p. 156.* Anno 1279. iam inuenitur, renunciatio *exceptionis fori et doli actionis in factum & conditionis sine causa et omnis alius auxilii iuris canonici & ciuilib.* *ibid. p. 209.* Plura Iuris peregrini hoc aeuo vestigia congeffit V. C. STRYBEN in *Nebenst. T. V. p. 16. f.*

§. IV.

PRIMA IURIS GERMANICI VESTIGIA IN TACITO.

Ad fontes Iuris Germanici ego quidem non tantum leges eaeque hodiernum adhuc fori vsu habentes referendas duco; sed earum nomine veniunt

veniunt monumenta quaeuis, quae instituta patria & iura ac obligationes circa eadem nobis exhibent, atque hodierni iuris origines ac principia complectuntur; sicque generatim ex quibus ad theoriam Iuris Germanici construendam aliquid haurire & desumere licet, sunt Iuris Germanici fontes. Quare, quum ad definienda patria instituta omnino paginam faciat vtramque, earum prima incunabula nosse et mores populi quibus eadem debentur sibi perspectos reddere: fieri non potest quin egregium vsum praestent in vniuersa Iuris patrii theoria, quae de singulis institutis prima in immortali TACITI *de moribus Germanorum* libro exstant vestigia, quorum quanta in ipso reperiat copiam & qui hodiernorum iurium nobiliorum origines ex eodem deduci & illustrari queant, viri doctissimi nobis ostenderunt (a).

(a) conf. HEINECCII *Elem. Iur. Germ. Halae 1736. 1737. 8.* & viri immortalis tum de vniuerso orbe litterato, tum de hac academia meritissimi GE. CH. GEBAVERI *vestigia iur. germ. antiquissima in C. Cornelii Taciti Germania obuia Goettingae 1756. 8.* qui hoc suo opere, quantum utilitatis ex Taciti libro in Iure patrio hauriri queat egregie docuit.

## §. V.

## IN LEGIBVS VETERVM GERMANIAE POPVLORVM.

In chronologico ordine sequuntur antiquorum Germaniae incolarum leges, Salicae, Ripuariae & aliae, quae a seculo inde quinto reperiuntur stabilitae. Quas quidem, si adspicias pro ratione status horum populorum sanctiones criminales potissimum complectuntur, et ita in Iure Germanico priuato vsum non praestant. Verum & praeterea origines iurium hodiernorum non sine summa delectatione in iisdem deprehendes obuias, quae ad illustranda nouioris temporis instituta vtramque faciunt paginam. Praecipue vbi de obseruantia hodierna deducenda agitur non solum eximium praestare mihi videtur vsum, si ex antiquissimis institutis ipsam derivare valeas, sed quoque haut parum prodesse potest, si rationes eiusdem introductae subiungere liceat, quae non aliunde, nisi ex primis fontibus peti queunt. Sic iam propter vnicum locum de terra Salica fere inaeestimabilis est Saliorum lex tit. LXII. §. 6.: „de terra salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum „tota terrae hereditas perueniat”, qui latius adhuc exponitur in lege Angliorum & Werinorum

B

tit. 6.:

tit. 6.: "hereditatem defuncti filius non filia suscipiat, si filium non habuit, qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero ad proximum paternae generationis consanguineum pertineat." Quibus iura successio- num in hodiernis illustribus & nobiles familiis egregie contineri non sine delectatione quispiam apprehendet (a). Et ita iuris nostri vestigia in hisce legibus reperiuntur quamplurima, quae eo maiori cum industria consulendae sunt, quo magis in iure Germanico refert, & originem & iustas notiones institutorum hodiernorum enucleare (b).

(a) Usus veterum horum monumentorum in detegendis hodiernorum institutorum rationibus agnoscitur summi in hac nostrae iurisprudentiae parte nominis vir IO. IAC. REINHARD in aureo libro *von Erbfolgs- Recht der Töchter*, Gießen 1746. successio- nis hodie vigentis doctrinam ex ipsis illis prae- cis fontibus deducens; nec dubium est huius ad exemplum solidissime & alias iuris nostri patrii materias illustrari posse.

(b) Egregiam hic operam praestitit b. HEINECCIUS in *Elem. I. Germ.* singulorum iurium nostrorum primas origines in legibus istis obvias detegens. Qui tamen in eo lapsus esse videtur, quod nimius et solus fere in iisdem substiterit, id quod ad concinnandum ius Germanicum foris nostris adcommodatum minime sufficere puto.

(c) Inter



(c) Inter plures quae existant harum legum collectiones, commodissima sane est, quam consilio b. HEINECII adornavit PETRVS GEORGISCH, quae prodiit cum praefatione HEINECCII *Halae* cl. M. CCXXXVIII. sub titulo GEORGISCH *corpus Iuris Germanici antiqui* 4.

§. VI.

CAPITVLARIA, FORMVLAE, DIPLOMATA.

Has excipiunt Regum Francorum capitularia, quae quidem tantum non omnia statum publicum & ecclesiasticum eius aevi respiciunt, interim tamen quoque multa continent, e quibus iura Germaniae originaria & illustrari & definiri queant (a) Vsum vero multo magis egregium praestant reliqua in hoc aevo iuris Germanici monumenta, formulae scilicet & diplomata. Ex illis in primis notandae sunt, quas in collectione habemus superstites, formulae monachi cuiusdam Marculfi circa A. C. 660. degentis (b). Hae quidem legis vim nec habent, nec per naturam habere queunt, dum in se nihil aliud sint, nisi scripturae priuatae de negotiis iuridicis confectae: at tamen quum de iuribus & obligationibus sint conceptae, non possunt institutorum patriorum eius seculi egregiam nobis non suppeditare notitiam. Illis iungenda existimo diplomata,

quae ad seculum vsque duodecimum habemus reliqua, ex quibus mirifice facies Iurisprudentiae Germanicae istius aevi cognosci, & exinde utilitas eximia in iure hodierno definiendo redundare potest, siquidem eorum pleraque de negotiis iuridicis confecta sunt & quae iura & obligationes in iisdem versentur, statuunt (c).

(a) conf. GEORGISCH Corp. Iur. Germ. p. 1245. Nitidissimam earum collectionem debemus STEPH. BALVZIO, quae sub rubro: *capitularia regum Francorum* Paris. 1677. f. sub eius nomine prodit.

(b) Quas primum edidere fratres HIER. & THEOD. BIGNON Paris. 1665. postea insertae sunt BALVZII *capitularibus* & BOVCQVETII *scriptt. rer. Gall.*

(c) Horum collectiones summo cum studio & labore factas non desiderari passi sunt viri eruditissimi e quibus praecipue in Bibliotheca Iuris Germanici locum merentur: IO. PET. DE LVDWIG *reliq. MStorum* tom. 12. Frf. & Lips. 1720-1741. 8. VAL. A GVDENVVS *codex diplomaticus* T. I. Goettingae 1743. II. Frf. & Lips. 1747. III. ib. 1753. IIII. 1758. 4. HENR. CHR. A SENKENBERG *selecta iuris & historiarum*; Partes VI. Frf. 1734-1742. 8. & aliae plures.

### §. VII.

STATVTA, SCABINORVM RESPONSA ET DIPLOMATA  
SEC. XIII.

Post seculum duodecimum vsus Iuris peregrini quidem in Germania adeo inualuit, vt illius

lius vestigia hinc inde in documentis saepissime  
deprehendantur, (§. III. n. a,) & hic igitur ista  
periodus monumentorum Iuris patrii, quae in  
sua integritate ipsum exhibet, certa ratione finiri  
dicatur: tamen omnino adhuc maximae sunt uti-  
litatis, quae ex seculo XIII. nobis supersunt iurium  
domesticorum monumenta, quum non vsque  
adeo iuris Romani & canonici maculis inquinata  
sint, quin mores veteres Germaniae instituta do-  
mestica adhuc maximam partem pura conserua-  
uerint. Quapropter in Iuris Germanici theoria  
eruenta temere posthabebuntur, I) quae hoc se-  
culo confecta inuenis quarundam ciuitatum sta-  
tuta, vt quae adhuc in solis moribus substiterant  
patria instituta memoriae mandentur. Haec in  
eruyendo iuro Germanico eo sunt utiliora, quum  
non solum ab intermixtione iuris peregrini tan-  
tum non omnia sint immunia, sed & eximium  
iuris totius Germaniae exhibeant concentum,  
tum, quia ex moribus vniuersae Germaniae fere  
communibus hausta sunt, tum, quia talia statuta  
non solum in vrbibus, quibus suos natales debe-  
bant, valuerunt, sed quoque ab aliis quam pluri-  
mis ciuitatibus & integris prouinciis adoptionis  
iure recepta & ex iis in casibus obuiis decisiones  
latae sunt (a). II) Eodem iure inter fontes Iu-

ris Germanici in hoc aevo habebuntur Scabinorum iudicata & responsa (b), quae, quum eorum auctores morum patriorum tenacissimi & peritissimi fuerint, de patriis institutis egregia exhibent testimonia, inque eruenda theoria Iuris domestici eo vtiliora sunt, dum ad scabinatus quosdam illustriores, quos curiarum superiorum nomine nouimus, vndequaue prouocatione certatum sit atque sic eorum decisis ampla patriae pars recta fuerit (c). Neque III) omnino praetermitti debent, quae ex hoc aevo nobis reliqua sunt diplomata in variis collectionibus obuia. In his quidem saepissime Iuris peregrini non leuiora inueniuntur vestigia, sed tamen non vsque adeo, vt instituta domestica per istud iam euersa, aut immutata deprehendantur, quare fieri non potest, quin adhuc multa egregia ad concinnandam patrii iuris theoriam in ipsis adpareant.

(a) Insignia in iis sunt Iura Susatensia Lubecensia Magdeburgensia, Suerinensia &c. de quibus conf. consult. *RICCIUS von Stadt-Gesetzen*, Recensum statutorum huius aevi exhibet III. *PÜTTER in iurist. Encyclopaedie* p. 120. sq.

(b) Eorum collectio scabinatus, qui Magdeburgi eminebat, continetur in Weichbildo Magdeburgico, cuius aetas sine seculi XIII certe antiquior esse haut videtur



detur. PÜTTER l. c. p. 131. vbi & de variis eius editionibus suppeditatur notitia.

(c) Ill. G. L. BOEHMER *de prouocationibus Iuris Germ.* Halae 1738. p. 97. sq.

§. VIII.

S P E C V L A.

In eodem aeuo adhuc occurrunt quaedam morum & consuetudinum patriae compilationes, sub nominibus speculi Saxonici, Sueuici & Iuris Caesarei satis notae. Eae omnino priuatae tantum debentur operae, publica nunquam auctoritatae confirmatae, & sic legum iure censi nullatenus queunt. Atque quum earum aetas incidat in tempora Iure peregrino iam infecta, frequentissima quoque huius in ipsis non desiderantur vestigia, licet auctores eo praecipue fine, vt contra ingruens Ius Romanum & canonicum mores patrios seruarent, scripsisse videantur. Interim tamen ex ipsa hac intentione permulta egregia instituta domestica memoriae tradiderunt, & iusto durius esse videtur, ipsis saltem, qua testibus de iuribus sui temporis non reprehendendis, fidem historicam denegare. Sic igitur & ipsi in Iure Germanico eruendo haut temere consulentur, quum & patriorum iurium largam suppeditent

tent copiam, & in iisdem recensendis inter se inuicem mirifice fere vbique consentiant. Qua leges autem haec specula allegare non insufficiens tantum, sed & periculosum videtur.

(a) Exstant speculum Saxonicum & Sueuicum modo seorsim, modo in collectione; conf. PÜTTER l. c. p. 126. f. Speculi Sueuici & Iuris Caesarei partem priorem quae ius prouinciale tractat, exhibet SENKENBERGII *Corpus Iur. Germ. med. aevi* T. I. 1760. T. II. 1766. fol. Alteram partem quae ius feudale continet vna cum iure feudali Saxonico sistit EIVSDEM *Corp. Iur. feud.* Gießen 1740. 8.


§. IX.

QVAE CAUTIONES ADHIBENDAE.

Hisce fontibus vbi in iure Germanico vti velis, hae cautelae atque regulae praescribendae esse videntur: 1) vsum fori immediatum ista iuris antiqui & medii monumenta non habere iam dixi; partim enim legum auctoritatem habuisse nunquam videntur, partim vero, si habuerunt, suo valore qua leges dudum sunt destituta; neque 2) alio modo, ceu testimonia & probationes eius, quod hodie in foris nostris obtinere debet, allegari queunt, tum quod simpliciter non valeat consequentia a iure pristino ad ius hodiernum, siquidem illud seruatum esse supponi debeat,


tum

rum quod actu quoque multa, quae in ipsis de-  
 prehendendis partim obsoleta; partim nouiori-  
 bus legibus mutata, partim per Iuris peregrini  
 auctoritatem in exsilium missa sint; attamen 3.)  
 hisce monumentis supersedere, hosce fontes non  
 consulere neutiquam possumus, vbi in eruendis  
 atque deducendis institutis patriis versamur,  
 quorum ideas, fines atque limites non nisi ex iis-  
 dem definire licebit. Quae enim hodie superesse  
 dignoscuntur antiqua patria instituta, ea qui-  
 dem non hodiernis, non nouioribus temporibus  
 debentur, sed ratio eorum in statu antiquiori  
 iam latet, inque eadem determinanda eo iustio-  
 res, eo accuratiores esse poterimus, quo pro-  
 piores accedere tentamus ad ea tempora quibus  
 origo negotii debetur. Sic de hoc asserto illu-  
 strius exemplum dari nequit, quam de succes-  
 sione Germanica, praecipue, quatenus inter illu-  
 stres adhuc obtinet, cuius ratio fere tota, quan-  
 ta, quanta est, antiquissimis Germaniae insti-  
 tutis nititur exque iis euoluenda est. Et idem  
 adhuc in institutis hodiernis patriis tantum non  
 omnibus vsu venire videtur. Praecipue vero in  
 definiendis notionibus neutiquam negligere  
 istos fontes valemus, vt scilicet quomodo haec  
 instituta ex iure vero patrio sese habeant, liceat  
 C per-



perspicere, quum postea per iura peregrina multa, quae non sunt patria iisdem reperiantur admixta & in theoria tamen eorum integritatem nosse omnino interfit, in qua autem docenda parum aut nihil omnino praestare poterimus, nisi priores fontes, qui mixturam Iuris Romani & canonici adhuc ignorant & ita iura patria pura nobis cantant, consulere velimus. 4.) In deducenda obseruantia, ad quam in Iure Germanico saepe adeo prouocatur, vtramque sane faciunt paginam monumenta ista antiquiora, & probationem certe eximiam efficit, vbi, olim ita iuris communis per Germaniam fuisse, doceri potest, immo rationes iuris pristini ex ipsis iis monumentis detectae adhuc hodie superesse deprehenduntur. Quantus hoc capite eorum sit vsus neminem fugere poterit, cui paucas tantum in controuersis illustribus deductiones adspicere contigit, in quibus scilicet tantum non omnibus, prima semper principia ex antiquioribus fontibus reperuntur, vtique repeti iure debent. Neque minus 5.) istis pristini iuris monumentis, quatenus vt testimonia tantum de eo, quod in illis temporibus circa patria instituta iustum erat, spectantur, fides negari potest. Iam quidem, a iure pristino ad ius hodiernum non valere argumentum dixi, sed per-

perdurum tamen esse nemo non videbit, pro abrogatione iuris patrii potius, quam pro eius conseruatione praesumptionem capere; eique qui in iure pristino sese fundat simpliciter iniungere probationem. Multo autem naturalius habebitur pro conseruato iure domestico antiquiori praesumere, donec eius mutatio probata sit, modo scilicet, quod bene notandum, non alia concurrant, quae ius antiquius nobis haut amplius quadrare, & sic obsoletum esse ostendant. Hoc igitur modo & ita optime priscis iuris patrii documentis utemur, ut, ceteris videlicet paribus, quae in illis sancita sunt, eadem & hodierni iuris esse in dubio argumentari liceat. Ast ea ratione in hac adplicatione versandum esse, ego quidem arbitror, ut non ad hoc vel illud seorsim prouocetur iuris antiqui monumentum, sicuti ex solo speculo Alemannico, aut Saxonico, aut iure Caesareo omnia deducere tentarunt viri doctissimi, sed plura potius in auxilium vocentur, ac ex horum concentu argumentum ducatur; siquidem ex singulis seorsim nullum ius generale deriuare potest, ex consensu autem plurium in singulis materiis theoria stabilitur.



## §. X.

LEGES ET STATVTA NOVIORIS AETATIS NON SVNT  
GENVINI FONTES IN THEORIA IVRIS  
GERMANICI.

Post seculum decimum quartum irrupit, plane in Germaniam, quod hactenus irrepererat ius Romanum & canonicum, tantaque auctoritate fora Germaniae regere coepit, vt fere omnia ex eadem decidantur, ipsae adeo leges seculo XV. XVI. & XVII. conditae, tum imperii, tum leges prouinciales, statuta & reformationes, abrogatis iuribus statutariis antiquioribus stabilitae, plurimam partem ex eodem haustae sint. Difforme igitur ex ista legislatione nascitur ius Germanicum, iure Romano non tantum ybique intermixtum, verum ex eodem quoque pene desumptum. Quapropter, quae ab hoc inde tempore iuris Germanici exstant monumenta, pro puris & genuinis fontibus nequicquam vnice habentur, maximeque vapulant sine dubio illi, qui vnice in iuribus statutariis & prouincialibus hodiernis ius Germanicum verum inuenisse sibi videntur, exque fonte adeo impuro non nisi riuuli impuri deduci sane poterunt. Qui enim quaeso, posthabitis plane iis monumentis, vbi instituta patria in  
integri-

integritate sua originaria sistuntur, consultis tantum illis quae peregrina ubique habent intermixta, quae nam vere Germanica sint, quaeue minus, iuste definiri, patria a peregrinis separari, & perfectum atque solidum patriae iurisprudentiae systema concinnari poterit? Id tamen lubentissimus concedo facilius ita exarari compendium Iuris Germanici, si ius Germanicum appellari licet (non dico theoriam, quae ita nunquam adornari potest), quam consulendo veros & genuinos fontes, quibus in perscrutandis maiori multo opera & industria opus est.

§. XI.

TOLLITVR OBIECTIO.

Verum obiicies, ni fallor, nihil ad nos facere integra iuris patrii instituta, nullius itaque usus esse pristini iuris genuini monumenta, ubi per ius Romanum & legislationem recentiorem Romana imitantem immutata atque adeo expulsa sunt. Sed qualis quaeso, ubi ius Germanicum docemus, ubi in systemate illud adornare cupimus, finis? Profecto non is, ut quae Romana sunt, & ex Romano iure ad nos translata tradamus. Singularis sane foret Iurisprudentia Ger-

manica, quae non Germanica, sed Romana continet. Actum quoque ita ageretur, quum haec prolixè satis in disciplinis iuris Romani exponantur. Potius nullus alius finis esse potest, quam ut instituta domestica, ex fontibus domesticis explicemus. Fontes autem domesticos non adpello leges, quae in Germania quidem latae, sed ex Iure Romano desumptae, aliisque tantum verbis traditae nobis sunt; sed fontes domestici mihi sunt illi, qui ex iure peregrino nihil habent admixti, & institutis patriis exacte respondent. Hac via si ingredi velimus, quae ingredi certe decet, sane non est, quod curemus in explicanda iuris Germanici theoria difformitates, quae in legibus nouioribus ex iuris exotici immixtione exhibentur.

## §. XII.

## ALIA OBIECTIO TOLLITVR.

Ast forte hoc modo tradetur Ius Germanicum in theoria, quod in foris exsul est, ideoque habebimus theoriam, quae in praxi adplicari nequit. Minime. Primo enim nouiori etiam tempore contra ius Romanum egregie ius patrium genuinum ad hunc vsque diem habemus conseruatum

in



in pactis familiarum illustrium ac nobilium. Illustres enim atque nobiles, quum exitiosam sibi & familiae splendori fore iuris peregrini auctoritatem probe perspicerent, praecipue in seruandis institutis domesticis, in quibus videlicet tota eorum salus continebatur, occupati fuerunt, quumque normis generalioribus eadem seruare non licuerit, contra vero, sibi suaeque familiae legem scribere, immo ita iuri communi derogare, & obseruantiae Germanicae, & ipsi iuri Romano conueniret: specialibus normis, legis instar in quauis familia, siue per dispositionem capitis familiae, siue per consensum membrorum familiae stabilitis, quas generatim pacta familiae adpellare consueuimus, mirifice ius patrium seruatum est. Talia pacta in omnibus fere familiis, altera semper alteram imitante, statuta sunt, & uti iis hodiernum adhuc familiae reguntur, ita & ad hunc diem usque eorum ope verum ius patrium in praxi & foris non obtinere nequit, licet in variis capitibus, ipsa quoque iuri Rom. dedisse locum, non infitiemur. Dein quoque in ipsis statutis ac legibus nouioribus multa seruata deprehendimus patria iura, quae per ius Romanum depelli haut potuerunt, uti in materia communionis bonorum, conditionis hominum propriorum,



rum, aliisque similibus in aprico est. Inde itaque in sola theoria subsistere verum ius Germanicum dici nequit, potius in nobilissimis materiis inter omnes personarum ordines, illustres, nobiles, ciues & rusticos eiusdem usus sese exferit.

§. XIII.

QUA RATIONE LEGES NOVIORES IN IURE GERMANICO  
ADHIBENDAE.

Neque tamen in Iure Germanico hodierno posthabendae sunt leges nouiores, tum imperii, quatenus iuris priuati capita, quae perpauca sunt, continent, tum prouinciales, nec non statuta & pacta familiarum. Sicuti enim generatim in iure Germanico chronologice in monumenta cuiuslibet aevi inquirendum esse duxi (§. III.), ita nec, quae a seculo inde XV. potissimum occurrunt, linquenda sunt, non quasi vt fontes vnice consideranda sint, sed, vt concentus Iuris patrii ad nostra vsque tempora ad construendam inde solidiorem theoriam eruatur. Triplici vero respectu occurrunt LL. nouiorum dispositiones, sub quolibet eorum in iure Germ. considerandae. Nam I.) in ipsis deprehendis sanctiones ex antiquioribus legibus

legibus et moribus desumtae. Hae potissimum huc pertinent, quum exinde, quaenam patria instituta nostris temporibus conseruata sint, et quo modo ius hodiernum cum iure pristino consentiat, diiudicari potest, et sic sine illis theoria Iuris Germ. perfecta adornari nequit. II.) Aliae quidem in stabiliendo iure nouo versantur, sed duplici iterum ratione; A) ius nouum condunt, sed a patriis rationibus non alienum, et hoc intuitu omnino quoque ad fontes patrios referendae sunt, siquidem nondum omnibus numeris absoluta foret Iuris patrii scientia, quae non nisi antiquitus conseruata, nec simul nuper superaddita continet, dum in vniuerso Iuris Germanici ambitu posthaberi non debent, quae in dies passum est incrementa, & quae veteribus sanctionibus nouae adauctae sunt; B) nouum ius statuunt, sed ex peregrinis fontibus, iure Romano & canonico desumptum. Hasce dispositiones verae iuris Germanici theoriae non conuenire facile vides, at tamen quatenus circa patria instituta versantur, attendendae sunt, vt exinde quasnam mutationes passa sint, & quae hodie ipsorum sit facies elici possit, siquidem non tantum qualia in sua puritate esse debeant, sed etiam qualia actu hodie in praxi sint in Iuris Germ. scientia exponi  
D  
debeat

debeat, vt scil. talis sit, quae in foris nostris applicari queat. Simul autem atque hae dispositiones patria instituta non spectant, sed mere Romana nobis cantant in I. G. recte posthabentur. Sic videlicet in Germanicis legibus instituta mere Romana traduntur, adoptatis iisdem sanctionibus, quae in Iure Rom. de iisdem inueniuntur; haec in Iure Germanico iterum repetere otiosum foret, quum ita cantentur tantum, quae in Iurisprudencia Romana tradi potius debent, & traduntur (a).

(a) Ita quae in statutis dotis intuitu sanciantur mere Romana sunt, hinc e Iure Germanico merito expellenda. Inter nobiles & illustres ratione dotis autem Romana non omnino sunt adoptata, et hic igitur aliter ac inter ciuicos certe dicendum.

§. XIV.

NVNQVAM TAMEN NEGLECTIS FONTIBVS ANTIQVIORIBVS.

Ex hisce nouissimis fontibus non omnia tantum in Iure Germanico hodierno dependere equidem lubens fateor. Sed caue credas, quod saepe monui, ideo non esse, quod curemus iuris antiquioris monumenta. Sane non nisi cum summo periculo & in theoria & in ipsa praxi negligitur. In theoria, quum ad solidas & iustas institutorum

torum patriorum notiones vnquam peruenire, & quae vera domestica sint, a peregrinis discernere nequeamus, nisi arcessitis, quae supersunt iuris prisca monumentis. In praxi non minus, dum 1) ipsae leges nouiores multa ex anterioribus moribus & legibus desumerunt, & tam in hisce capitibus, quam generatim in omnibus iis, vbi de patriis institutis disponunt, ex antiquioribus, ceu fontibus debent explicari; 2) tot capita adhuc hodie obseruantia fundantur, quae non nisi adhibitis simul prioris aevi monumentis poterit recte probari; 3) denique in adplicatione, deficientibus legibus saepenumero ad analogiam iuris patrii decurrendum est, in qua eruenda solida eius theoria & sic cognitio fontium antiquiorum supponitur.

§. XV.

DIFFICVLTA IN ERVENDO IVRE GERM. VNIVERSALI.

His praemissis, quamam methodo, tum Ius Germanicum in singulis materiis, tum eiusdem vniuersa theoria erui debere mihi videatur, proponere licebit. Nimirum generatim nec solas LL. nouiores, nec solos antiquiores fontes nobis hic sufficere dixi, sed vti supra iuxta chronologiam

giam in huius iuris monumenta esse inquirendum arbitratus sum, ita neque illis, neque hisce superfedere nos posse adduxi. In eo autem sane maxima latet iuris Germanici tractandi difficultas, quod legibus vniuersalibus, totum eius ambitum complectentibus, hodie plane destituamur. Leges imperii pauca iuris Germ. capita pertractant; compilationes ex medio aeuo superstites neque legum iure aestimandae sunt, neque etiam omnia iuris Germ. instituta exhauriunt, multis adhuc folis moribus relictis; antiquiorum populorum leges, ac regum Francorum capitularia & priuati iuris paucissima capita continent, & dudum, qua leges obsoleuerunt. Quoniam igitur modo Ius patrium hodiernum vniuersale eruendum, legibus eiusdem vniuersalibus deficientibus? Dubium inde natum est, viris nonnullis doctissimis grauissimum, num, dari hodie Ius Germ. vniuersale, sustineri queat, id quod ex statim dicendis suo modo omnino affirmandum esse patebit.

§. XVI.

QVI IVS GERM. DETVR VNIVERSALE.

Quamuis enim leges vniuersales vniuersum ambitum iuris patrii emetientes non habeamus,  
leges

leges tamen particulares, & speciales habemus satis multas, quarum tamen sanctiones proprie non nisi particulare ius efficere possunt. Verum tamen in omnibus illis, quatenus praecipue in iure conseruando antiquo versantur, aut mere domestica continent, mirus obseruatur concentus, partim quia, mores sequutae pristinos, omnes ex eodem fonte profectae sunt, partim quia vna legislatio alteram semper imitata est, &, quae in legibus alterius regionis, vrbis, familiae stabilita inueniebantur, altera etiam ius sibi statuendo sequebatur, ex quo non potuit egregria iurium patriorum non oriri conuenientia, in qua vnice hodiernum consistit Ius Germ. vniuersale.

## §. XVII.

## QVID SIT IVS GERMANICVM.

Quid igitur nobis inuoluat Ius Germanicum hodiernum vniuersale, vides. Complectitur videlicet iura & obligationes, quae circa instituta patria versantur, & ex concentu singularum legum in singulis materiis hauriendae sunt, aut si mauis, tradit concentum legum patriarum in iuribus & obligationibus, quae circa patria instituta in iisdem fanciuntur. Hoc praestari debet

in systemate & compendio iuris Germanici, hoc sit negotium docentis in lectionibus de iure Germanico institutis; cetera fere inutilia sunt, & certe ad hancce doctrinam plane non pertinent.

§. XVIII.

VLTERIVS EXPONITVR.

Quum enim in genere in lectionibus academicis occupemur tantum in tradendis iuribus communibus: eadem quoque in iure ciuili non esse nequit ratio. Ius ciuile commune Germaniae vero non solo iure Romano & canonico absoluitur, sed datur & ius commune patrium, quod ex ipso consensu legum patriarum in materiis nobilissimis adparet, ideoque est duplex, & peregrinum & domesticum; illud traditur in praelectionibus Iuris Romani & canonici, hoc, uti separatim & singulare systema efficit, seorsim etiam omnino tradi debet; id quod fieri oportet in nostris collegiis iuris Germanici, quae itaque versantur in tradendo iure communi eoque domestico.

§. XIX.



## §. XIX.

NON VERSATUR IN RECENSIONE IVRIVM PARTI-  
CVLARIVM.

Ex dictis igitur vides in Iure Germanico mi-  
nime agi de recensione singulorum iurium in sin-  
gulis provinciis & urbibus obtinentium, siqui-  
dem ita non ius commune, sed merum ius par-  
ticulare docetur, quod itaque non solum fini Iu-  
ris Germanici, quod generalem debet exhibere  
theoriam repugnat, sed otiosum quoque & su-  
perfluum est. Quid enim quaeso v. g. is, qui Sa-  
xoniam patriam colit, curabit longam doctamque  
enarrationem eorum, quae in Palatinatu, in Ba-  
uaria, Austria cet. obtinent, quae omnia salva  
salute ignorare potest. Sed nec iis quidem, quo-  
rum interest, ita inferuietur. Quae enim in pro-  
vincia quadam vigent singula iura neutiquam  
extero docenti adeo cognita sunt, vt recensio-  
nem eorum omnibus numeris absolutam prae-  
stare valeat, immo mutantur, saepe & ignorat,  
hanc mutationem iuris Germanici doctor, vnde  
eidem in sua recensione fidem habere, ego qui-  
dem semper dubitarim. Tandem facillima ope-  
ra quilibet ius commune doctus, postea ius par-  
ticulare illius regionis, in quo officium geret sibi  
perspe-

perspectum reddet & paucis diebus euadet ICTus, & obseruabit, parum, aut nihil omnino sibi inferuire, quae in academiis particularia iura discere debuit, immo nocere potius, quum loco systematis & generalis theoriae, incompletam & minus rectam compilationem mere particularium audiuit.

## §. XX.

ADDVNTVR OBSERVATIONES DVAE.

Non igitur in singulis hisce iuribus (a) sed in eorum concentu consistit verum Ius Germanicum, circa quem duae obseruationes addendae superfunt, primo qua ratione sit eruendus, & deinde, quam vtilitatem praestet.

(a) Ex hac quoque ratione recensionem iurium particularium in collegio, atque compendio Iuris Germanici maxime otiosam esse, ex mea methodo contendo. Cui enim bono allegandae, quum non de *singularum* dispositionibus, sed de omnium aut plurimarum concentu nobis sermo sit, quem autem ita ostendere, sane nimis longum foret.

## §. XXI.

QVALIS CONCENTVS REQRVATVR.

In eruendo Iuris patrii concentu, id, ante omnia moneo, praestari non posse, vt singulorum

rum monumentorum Iuris Germanici in singulis institutis ostendatur consensus. Neque enim singula monumenta, singula, verbi gratia, diplomata cuiuslibet patrii instituti mentionem faciunt, neque omnia, quae eandem materiam Iuris Germanici attingunt, per omnia sibi constare deprehendes. Sed nec id requirimus; sufficit potius modo 1) in momentis grauioribus, quae circa aliquod institutum versantur, consentiant; & 2) pleraque tantum sibi conuenire reperiantur. Vti enim de eo, quod plerumque euenit, seu de regula nobis tantum sermo est, ita vnus alteriusque documenti dissensus generali theoriae haut magis derogabit, quam aliquae exceptiones ipsam regulam tollere dici queunt. Sic igitur pone, quinquaginta familiarum illustrium pacta legitimatos per subsequens matrimonium expresse a successione excludere, vnum vero & alterum superesse, quod ipsos admittit: nil dubii esse potest, pro iure in successione illustrium nihilominus stabilendum esse, hosce legitimatos successione incapaces haberi.

## §. XXII.

QVOMODO ERVENDVS,

Ad hunc concentum inueniendum prima  
E sem-

semper manet regula, chronologico ordine esse procedendum, ita vt a supremis temporibus inde ad nostrum aeuum in tot, quot obtingunt Iuris patrii inquiratur monumenta, & quid commune eadem contineant notetur. Sed nae! pessime sibi in eruenda Iuris Germanici theoria consulere, qui, omni alia methodo neglecta, solummodo temporis ratione habita, leges, diplomata, statuta, pacta perlegere & patrium ius ex ipsis haurire vellet. Praeterea igitur institutorum quoque singulorum ratio habenda est, & in singulis explicandis & describendis fontes Iuris Germanici supra laudati secundum chronologiam aduendi. Quare neque ordinatius, neque feliciter procedi poterit, quam, si in quolibet instituto patrio consideres, num iam inter primos Germaniae incolae eius reperiatur origo, quid legibus forte Salica, Ripuaria, de eodem caueatur, an in capitularibus occurrat, quam eius diplomata faciant mentionem, & quidnam statuta antiquiora, & mediae aetatis iurium collectiones de eodem sanciant. Omnia haecce monumenta si adspicias, ex eorum curatori perscrutatione mox, in quonam aut plura, aut vnanimia consentiant adparebit, & habes concentum Iuris patrii purioris. Iam pergendum erit ad fontes nouiores & dispi-

cien-

ciendum, num Iuris peregrini introductio no-  
tiorque legislatio aliquid de iure veteri mutaue-  
rit, in quonam mutatio consistat, aut an pristi-  
na iura conseruata sint. In quo quidem iterum  
hoc modo procedendum, vt ne in singulis singu-  
larum legum dispositionibus subsistas, sed ipsae  
inter se inuicem comparandae, & quae ex earum  
comparatione enascitur analogia, ea demum ad  
concinnandam generalem theoriam vtare. Ita si  
in singulis Iuris patrii materiis procedas, habe-  
bis Ius Germanicum tale, quale esse debet, quod-  
que eo perfectius, eo absolutius erit, quo curatior  
in indagandis iurium nostrorum monumentis,  
quo iustior in iisdem inter se inuicem comparan-  
dis detegendoque eo, in quo tantum consentiunt  
non omnia, fueris.

## §. XXIII.

## REGVLAE HIC ADHIBENDAE:

Quasdam dictis superaddere cautiones non  
erit alienum. Primum omnium est, vt de origi-  
ne alicuius instituti sollicitus sis; de qua si constat  
ab eo tantum tempore, quo illud vsu venisse cer-  
tus es, monumenta iuris patrii recte consulas;  
sic igitur quum primogenitura ante seculum XIV.

in Germania ignota fuerit, temere sane in lege Salica, & antiquioribus diplomatibus eius vestigia es detecturus. Contra autem origo negotii vbi incerta est, quo vltius in eadem eruenda progredi potes, eo plus in concinnanda Iuris Germanici theoria praestare licebit (a). Detecta origine iam alterum est, vt, quae fuerit ratio introductionis (b), curae tibi esse cordique patiari, eaque vix melius, quam in ipsis incunabulis instituti deprehenditur. Ingentem certe in iure praestat vtilitatem, rationem alicuius instituti nosse, tum quia ad eruendum ipsum contentum vtramque hoc facere videtur paginam, tum quia ad hodiernarum adhuc legum, multo magis fontium antiquiorum explicationem solida illius cognitione carere haut potes, tum quia denique docendo Ius Germanicum clarius & distinctius illud proponere nequis, quam allegando singulorum institutorum rationes, ex quibus & ipsae notiones, & iura ac obligationes in iisdem multum pendere dignoscuntur (c). Quam opus itaque sit fontium antiquiorum scientia eo ipso vides. Nunc sequitur vt ipsa iura & obligationes in hoc negotio obuinentes, quales quolibet tempore fuerint ex monumentis omnis aevi, quot colligere licet perpendas, & ita quomodo iura patria a seculo

culo in seculum sint immutata, & quid denique apud nos superstes manserit perspicias (d) Ita si procedas in Iure Germanico genuino contentus non adeo erit difficilis, siquidem 1) instituta Germanica fere omnia rationem generalem in ipso statu vniuersae Germaniae publico habeant; 2) mores & fontes antiquiores rationem, cur ius aliquod introductum & seruatum fuerit sancte obseruasse & secundum eandem sanxisse deprehendantur; 3) nouiores vero leges, aut pristina conseruauerint, aut ita tamen sint comparatae, vt altera legislatio, alteram imitetur, hincque & statuta iuraque nouissima in nobilissimis iuris patrii materiis amice conspirant. Id tamen iterum iterumque concedo, si praeter contentum ex solis particularibus iuribus recentioribus ratiocinemur, adhuc faciliiori opera Ius patrium contexi; sed quale! monstrum certe informe, cui lumen ademtum est.

(a) Laudabile sane est exemplum quod praestitit amicissimus FRIED. IAC. DIET. DE BOSTEL in eleganti dissert. *de origine renunciationum filiarum illustr.* Giesl. 1766.

(b) Ratio introductionis alicuius iuris regulariter eadem est cum ratione conseruationis eiusdem; siue id quod originem dedit instituto, effecisse quoque supponitur, vt in posterum ipsum sit conseruatum. Sed fieri etiam potest, vt cessante ratione primae introductionis, alia ratio conseruationis surrogetur, quae tunc notari non minus

nus meretur. Elegans est exemplum in exclusione feminarum a successione Germanica; huius instituti ratio introductionis fuit militia fundis incumbens cuius feminae erant inhabiles. Verum cessantibus postea seruitiis militaribus conseruatum tamen est idem ius, ratione alia surrogata, scilicet, splendor familiarum conseruandus, quarum finis feminae esse dicuntur.

(c) Sit exemplo vidualitium iuris Germanici; cuius si veram rationem scilicet, feminas Germanis fuisse indotatas, mariti obligationem alendae vxoris, praemittas, singulae circa hanc materiam quaestiones facillimo negotio explicantur.

(d) v. Ill. PÜTTER *Encyclop. Adpend. III, p. 223, f.* Non in enucleanda solum theoria ita recte proceditur: sed docendo quoque & proponendo Ius Germanicum optime agi cenfeo, si expositis mutationibus, quas passum est aliquod negotium, iura vere Germanica, a peregrinis immixtionibus nouioribus separentur. Nulla theoria, nulla notio distincta instituti obuientis suppeditari potest, si statim, quale sit hodiernum, ex mixtura Iuris exotici exponas, nec prius, quale proprie esse debeat & olim fuerit, praemittas, quo facto mutationes postea accidentes faciliori negotio perspiciuntur.

#### §. XXIV.

OBIECTVM HVIVS CONCENTVS.

Finis huius concentus esse debet Ius Germanicum priuatum hodiernum commune in systemate concinnandum. Ex ipso hoc fine satis adparet



paret, circa quaenam instituta versetur, illa scilicet, quae communia per Germaniam sunt & hodiernum adhuc valent. Superfluum itaque, immo otiosum etiam foret in indagandis institutis obsoletis, aut mere particularibus atque huic illiue regioni propriis quoque versari. In hoc postremo peccant Doctores sane multi, potissimum ii qui iuribus tantum particularibus innutriti, particularissimis vbique cantandis assuefacti sunt; id quod & bonae methodo & fini ac vsui Iuris Germanici omnino contrariatur.

§. XXV.

ITA EFFICITVR IVS GERMANICVM VNIVERSALE IN  
THEORIA.

Huius contentus, quem tractauimus vtilitas sese exferit in eo, quod eius ope iam tradi queat Ius Germanicum vniuersale per totam patriam vigore suo non destitutum (§. XVI.), sed quale sit hoc ius vniuersale exponendum, vt, quid de tali Iure Germanico cogitandum sit perspiciatur. Primo efficitur ita per hunc contentum ius vniuersale in theoria. Idque inuoluit 1) vt singula instituta Germanica recte explicentur, definiantur, eorumque notiones genuinae tradantur; 2.)  
vt

vt singulorum institutorum iura ac obligationes ex eo, in quo monumenta iuris patrii siue omnia, siue pleraque consentiunt, exponantur. Quo ipso efficitur, vt dicere queas: ea huius instituti in Germania natura & indoles, eaque in ipso ad sunt iura, eae obligationes, & sic in theoria contextitur Iuris Germanici priuati ambitus, quo solo, non introducto iure peregrino, recta fuisset patria. Quapropter ope huius contentus iam, proponendo systema Iuris Germanici siue in scriptis, siue ore tenus in praelectionibus, quodlibet Germaniae institutum secundum notionem & iura sua vniuersaliter describi poterit, & igitur hoc sensu Ius Germanicum priuatum hodiernum absoluitur, scientia iurium & obligationum, quae in institutis patriis occurrunt, tam harum, quae ex genuino antiquiori iure hodie reliquae mansere, quam earum, quae in nouioribus legibus ex Iure peregrino repetitae reperiuntur (a). Hocque vniuersale omnino est, quia docet iuris priuati domestici ambitum sine respectu ad certas regiones, sed per totam Germaniam obrinentem.

(a) Postremum opus est, vt efficiatur Ius Germanicum hodiernum. Sic exempli loco, in materia vidualitii, non ipsius solum indoles ex genuinis iuris pristini rationibus re-

repetenda, sed subiungenda omnino, quae dotis occasione, peregre quasi, ex Iure Romano addita sunt.

§. XXVI.

SED NON IN PRAXI.

Sed longe alia est quaestio, quatenus hoc ius sit vniuersale in praxi, ita scilicet vt singula iura, singulaeue obligationes in ista theoria propositae, in singulis locis valeant, actionem producant, & controuersiae ex ipsis decidendae sint. Hic omnino fatendum est, in tanta prouinciarum Germaniae varietate, quarum legumlationes diuersissimae, quarum aliae magis, aliae minus Romana, relictis patriae moribus, sequutae sunt, vbiuis idem Ius Germanicum adesse non posse, sicque in theoria explicata iura in singulis speciebus adplicationem haut sinere. Potius in obuiis casibus cuiusuis regionis & loci leges, statuta, immo specialissima pacta, nec non consuetudines inspiciendae, & ex iis vnice controuersiarum decisiones ferendae sunt (a). Verum tamen nec in praxi sua egregia vtilitate destituitur tale Ius Germanicum, quod iam ostensuri sumus.

(a) Vix est, quod subuear, ideo opponi mihi hic posse vtilitatem methodi supra reprobatae, quae in allegandis istis iuribus particularibus versatur. Quam parum hoc iuuet §. XIX. adtuli, quibus & haec iunge, quod nec allegatio iurium particularium sufficeret, sed si allegari debent, quae actu in praxi valent, alleganda singula familiarum pacta, specialissimae inter priuatos dispositiones, particularissimae locorum consuetudines --- Quae qualis quanta!

§. XXVII.

TAMEN ITA ERVITVR ANALOGIA

Palmarius sane huius Iuris Germanici in praxi est vsus, quod ex ista theoria iam eruatur naturali modo id, quod Iuris patrii *analogiam* dicere consueuimus, ad quam saepissime confugiendum esse experientia docet. Quum enim Iura Germanica non legibus vniuersalibus, sed particularibus, immo specialibus tantum regantur: saepe accidere potest, in iis casum, qui iam est controuersus, esse indecisum; quo facto vbi de patrio instituto igitur non ad iura peregrina decurrendum, sed potius ex analogia & isto ceterorum iurium concentu deciso petenda est. In hoc casu argumentamur: vbi specialis dispositio non adest, causa ex iure communi decidenda; ius commu-

commune vero patrium praecipue in patrio instituto praefendum est peregrino; ius patrium commune autem est, quod ex concentu singulorum monumentorum eruitur, quod igitur in hoc casu obrinere debet. Atque hoc modo, casu obueniente, firmissimum ex analogia petitur argumentum, eoque firmiter, quo magis perspicitur ratio eiusdem, in communi reipublicae Germaniae statu obuia, & hic etiam quadrare deprehenditur. Sic pone in plurimis pactis familiarum illustrium expresse sanciri, filias quidem debere renunciare, sed & non renunciatas pro renunciatis ipso iure haberi; in hoc pacto casus expressus non est, & filia aliqua non renunciauit: dubium non erit, eam tamen pro renunciata esse habendam. Pleraque familiarum illustrium pacta vidualitium secundis nuptiis finiri statuunt; in hoc pacto nihil exprimitur; nihilominus secundum analogiam decidendum est, viduam iterum nubentem vidualitium amittere.

## §. XXVIII.

FACILIS INTELLIGUNTUR IVRA HODIERNA.

Altera huius iuris Germanici utilitas in praxi, in eo versatur, ut iam particularia, ac specialia  
F 2 Ger-

Germaniae iura facillime intelligi & explicari queant. Hodierna enim Germ. iura ita comparata sunt, vt in institutis vel antiqua seruaerint, vel noua sanxerint. In priori specie ex fontibus veteribus desumerunt ac exinde debent explicari; in posteriori autem casu posterior lex nouior priorem vicinam regulariter sequuta est, & ideo leges hodiernae adeo sunt connexae vt altera sine ceteris in totum intelligi certe nequeat, sed saepissime aliam legem ex alia interpretari debes. Quare sine ista theoria Iuris patrii in praxi multa in legibus offendes obscuriora & ambigua, ope contentus supra dicti facillime intelligenda. Hoc modo etiam passus & verba, quae dubium continent, in iuribus particularibus obuia, facili negotio ex iure Germanico generali explicabuntur. Sic ex theoria Iuris Germanici patet in plurimis familiis illustribus stabilitam esse primogenituram, contra rariorem esse maioratum; iam verba pacti familiae de utroque succedendi ordine capi possunt; atq; ex theoria Iuris Germanici de primogenitura accipientur.

§. XXIX.

HYPOTHETICE EST VNIVERSALE.

Tandem, vti istud Ius Germanicum ex consensu monumentorum singulorum, siue omnium, siue plerorumque elicitur, fieri non potest, quin etiam in praxi instar regulae habendum sit, eiusque adplicatio praesumatur, donec speciatim aliter statutum esse adpareat. Quapropter certe dicendum est, eum qui ad hanc theoriam prouocat, intentionem habere fundatam, secundum quam decisio ferenda est, nisi contrarium doceri possit. Hinc eatenus vniuersale & in praxi hoc ius praedicari potest, quatenus in certo aliquo loco institutum patrium, quale in theoria exponitur, adhuc seruatum est, nec iura & obligationes speciales circa illud definitae esse videntur; qua igitur ratione *hypothetice* adhuc in praxi adesse Ius Germanicum vniuersale negandum non est.

§. XXX.

Haec pro instituti mei ratione sufficiant, vt exinde, quali methodo ego quidem in Iure Germanico tradendo vsurus sum, quibusue ex rationibus eadem praeplacet, intelligi possit. In calce

ce, quibus praelectionibus hoc aestiuo semestri  
occupet addere iuuat:


I. videlicet hora matutina VII. in explicando  
Iure Germanico ex modo haecenus descripto ver-  
for, ducem sequutus Ill. PÜTTERVM in nitidis  
*elementis Iuris Germanici priuati*, ipsi illae me-  
thodo vnice, quantum decet ad commodatis.


II. hora XI. propono Ius publicum S. I. R.  
G. praeunte eodem Ill. PÜTTERO in *elementis  
Iuris publ. Germ.*

In hisce, vti dulcissimorum commilitonum be-  
neuolentiam insigniter mihi gratulor: ita & ei-  
dem in posterum de meliori me commenda-  
tum haberi cupio.









ULB Halle  
005 612 888

3







B.I.G.

Farbkarte #13

*P. 1. num. 21.*

*S. 10.*

*H 167, 11*

*AA*

*P. 144.*

GVILIELMI AVGVSTI RVDLOFF  
IVRIVM DOCTORIS  
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
DE  
IVRE GERMANICO  
IVSTA METHODO TRACTANDO  
COMMENTATIO.



GOETTINGAE

clō cc LXVII.

